







1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.





Auspice

228-

D. T. O. M.

46

DISPUTATIO JURIDICA

De

1629, 7

CONCVRSV  
ACTIONUM:

x xxxii

*Præside*

Clarissimo & Consultissimo Viro,

D. N. SIGISMUNDO *Flach*/

U. J. DOCTORE, AC PROFESS. IN ALMA

Argentoratensium Universitate celeberrimo,

Præceptore ac Fautore suo plurimum

honorando:

PUBLICO EXAMINI

*Subiecta*

a

JOHANNE REIMBOLDO *Dietrich*/

Argentinenfi.

*Mense Septembri.*

ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ.

M. DC. XXIX.







MAGNIFICO, AMPLISSIMO  
 AT QVE CONSULTISSIMO VIRO,  
 DN. JOHANNI HEL-  
 LERO, REIPUBLICAE  
 ARGENTINENSIVM CONSULI  
 prudentissimo, & Academiae Scho-  
 larchae gravissimo, Patriae  
 Patri:

DOMINO AVUNCULO SUO MAGNO, ET  
 Parenti spirituali, omni observantiae & honoris  
 cultu aeternum venerando. S.

**V**ereor, Vir Amplissime, Dn. Co-  
 gnate omni pietatis genere ob-  
 servande, *ne temeritatis alicujus  
 aut ambitionis arguar, quod neqz  
 atate, neque ingenio praeditus, arduam hanc,  
 multiplicem, atqz, uti Hotomanno eam salutare  
 placet, confragosam de Concursu Actionum ma-  
 teriam, publice proponere atque defendendam  
 suscipere ausus fuerim. Et hanc quidem repre-  
 hensionis notam declinare mihi perquam grave  
 ac difficile videtur. Poterat enim conatum hunc  
 meum retardare atque intervertere praemium,  
 quod temeraria sua & inconsiderata ambitionis*  
 (: ) 2 homi-





homines ferre solent, dum mediocriter in studio  
stadioque artium liberalium & disciplinarum  
versati, precipitanter nimis edendis scriptis inge-  
nii famam aucupari satagunt: interim vero  
prudentum iudicio pro vix sanis, nec dicam in-  
doctis habentur. Cum, quae publica censura subji-  
ciuntur, diu multumque, longo licet & diuturno  
studio elaborata, differenda sint: ne quae ferventi  
adhuc juvenili nimis calore imprudentius emis-  
sa sunt, refrigerato post iudicii ardore, revocare  
& praepostera castigatione propriam proderet in-  
scitiam necesse habeant. His tamen non obstanti-  
bus, instituti mei rationes iidem ubi didicerint,  
& paulo altius secum ponderaverint, quin, si  
non absolutionem, errati tamen veniam mihi  
impertituri sint, nullus dubito.

Magnum enim licet arduumque susceperim  
onus: satius tamen optatiusque esse, in rebus ma-  
gnis atque gravibus desudando hesitare; quam  
in quotidianis & protritibus, nimis forte sapiendo,  
errare, persuasum habui. In quo priori, ut  
cum Propertio loquar:

Etsi deficient vires, audacia certe

Laus erit: in magnis & voluisse sat est.

Quemadmodum enim nemo tam bene subdu-  
cta



Et a ratione ad vitam unquam fuit, quin res, ut  
 Comici utar verbis, atas, atque usus semper ali-  
 quid ferat novi, aliquidque admoneat, ut que  
 primò quis amplexus fuit, expertus post rejiciat:  
 ita etiam, si ob maximam rerum perplexita-  
 tem, immensamque materiarum copiam scopu-  
 los evitare & portum tenere non valuerò, mihi  
 tyroni, qui vasto huic equori me commisi, igno-  
 scendum erit. Quò accedit, quòd non presumpta  
 quadam ambitione, sed suasu atq; adhortatio-  
 ne eorum Spartam hanc (Divino cum primis fre-  
 tus auxilio) ornandam susceperim, quibus non  
 parere nefas esse duxi. Vnde etiam in hanc pecca-  
 re partem, & disputandi hoc onus, (ut cunq; hume-  
 ris meis impar) aggredi, quam illorum authori-  
 tatem aspernari, vel voluntatem negligere, ma-  
 lui. Quod si igitur id non sustinuerò, commune  
 cum iis mihi crimen esse volo, ut impositi ipso-  
 rum, mea recepti culpa sit: in quo tamen virium  
 mearum tenuitatem, laudem illorum & autho-  
 ritatem compensaturam confido.

Quemadmodum autem, Vir Amplissime,  
 antiqua & laudabili consuetudine receptum,  
 doctorumque instituto confirmatum est, ut quis-  
 que sua non solum præclara opera & lucubrati-  
 nes,



nes, sed etiam pauca interdum, quæ in Acade-  
miis examinanda publicèque discutienda pro-  
ponit themata, Viro Eminentissimo consecraret atque  
inscribat: ita etiam Ego disputationem hanc sub  
Ampl. T. nomine & patrocinio lucem aspicere  
inque hominum venire manus volui: non quod  
arbitrarer rem esse Ampl. T. dignam, sed potius  
ut rei, partim per se obscuriori luminis & clari-  
tatis aliquid mutuarer: partim, cum aliis mediis  
me destitutum viderem, quibus aliqua saltem  
ex parte dignum quid meritis Tuis à me profici-  
sci possit, ut hoc qualecunque munusculum, debi-  
ta grati animi submissionis & observantia indi-  
cium existeret, aut testimonium saltem aliquod  
exhiberet. Beneficia enim, quibus me Ampl. T.  
ab ipsis incunabilis quoque affecit, auxit, orna-  
vit, sæpius & frequentius dum memoria recolo,  
cui hæc nuncupem theses, digniorem non repe-  
rio. Ut enim non primordia tantum studiorum  
meorum attingerem, sed in iis etiam vita taber-  
naculum ponerem, suator Tu extitisti. Merito  
igitur, cum specimen aliquod mei in hoc studio le-  
gali qualiscunque profectus non minus ac ante  
in philosophico, antequam in eodem majora &  
altiora addiscenda susciperem, edere voluerim:

primi-



731

primitias hasce, prematuras licet, Ampl. T. fert,  
sibiq; vindicat, & si ex his uberiores aliquando  
sperare licet fructus, eos omnes sibi deberi sciat.  
Quod verò tenuem hanc & perexiguam grati-  
ficandi occasionem arripui, id velim argumento  
sit Ampl. T. quanta mihi cura sit, ut quoquo mo-  
do gratissimus erga Eam esse intelligar; & quàm  
vehementer in eo laborem, ut quæ officia studio  
& industria, prout debeo, exhibere non possum,  
in his saltem conatum meum probem. Equidem  
perspicio satis, quàm indigna sint hæc, quæ am-  
plissimis Tuis benefactis rependantur: sed cum  
nec majora possim, nec ea dissimulare penitus fas  
sit, & vel hoc suffecerit, quod in primis mihi pro-  
positum fuerit impræsentiarum, T. Ampl. in me  
maxima merita, meamq; vicissim erga Ean-  
dem reverentiam & pietatem omnibus testa-  
tam facere. Accipe igitur, Vir Amplissime,  
Dn. Cognate observande, tenue hoc ac leviden-  
se munusculum serena fronte, nec id ex sua vili-  
tate & pretio, sed ex animo dantis æstima atq;  
metire: me, meaque studia pro solita benevolen-  
tia commendata Tibi habe. Quod ipsum si, uti  
omninò spero, ab Ampl. T. impetra vero, singu-  
lari me iterum beneficio obstrictum verè profite-  
bor.



bor. Quod super est DEVM T.O.M. ex animo  
rogo & obsecro, ut Ampl. T. Ecclesia sua prote-  
ctorem; Patria patrem; Academia patronum  
quam diutissime & felicissime tueatur atque  
conseruet. Vale.

Scriptum Argentina 21. die Septembr. Anno  
à partu Virginis, M. DC. XXIX.

Ampl. T.

Observantis.

Johannes Reiboldus  
Dietrich. A. & R.



IN NOMINE DO-  
MINI NOSTRI JESU  
CHRISTI.

PROOEMIUM.

**U**M hac de Concursu Actionum materia & amplitudine ac obscuritate sua difficilis, & frequentia in Scholis atque foro utilissima sit: Iccirco pretium me opera facturum existimavi, si conatus aliquid studiū, pro ingenii viribus in ejus disquisitione collocarem. Id ipsam igitur ut Is, quo auspice jacta alea est, clementer juvare dignetur, bene precor & rogo.

THESIS I.

**Q**uamvis autem nullus in Juris nostri Voluminibus materiae hujus tractatus singularis atque specialis reperiat: (quod praeter maximam etiam rei difficultatem, quae & gravissimos Ictos, quorum vestigia ex longinquo hic sequor, exercuit, veniam, si lapsus forsitan fuero, eo facilius, uti confido, mihi conciliabit) nonnulla tamen hinc inde, occasione subjectae materiae, loca occurrunt, ex quibus colligi potest, hanc Juris partem à Jurisconsultis non neglectam, sed diligenter excultam fuisse: inter quos celebres maximè & notabiles sunt textus in lege, *qui servum 34. ff. de obl. & act. & in lege, si quis egerit. 88. ff. de furt.*

A

Or-



## I I.

Ordinis verò ut in discendo ita etiam in docendo cum magna sit vis magnùmque momentum, monente Baldo *in proem. Digest.* adeò ut licet quid facias scias, quo ordine tamen id ipsum efficias nescias, haud incertum incertæ atque imperfectæ cognitionis prodas argumentum: igitur & hîc aliquem tenere ordinem placet.

## I I I.

Omnia autem de re aliqua, quæ à ratione suscipitur, institutio quia à definitione proficisci debet; ut intelligatur, quid sit id, de quo agitur: *secundum Cicer. lib. 1. offic. quem refert Baldus in pralud. feud. num. 8.* Ideò & nobis Concurfus Actionum *nihil aliud videtur esse, quàm cum duæ pluresve actiones ejusdem rei nomine, ex una vel pluribus causis, vel ex uno seu pluribus factis descendunt: quæ uni adversus eundem simul competunt.*

## I V.

Dicitur, EIUDEM REI NOMINE: quia concursus Actionum præcipuè consideratur, cum uni contra eundem plures ejusdem rei nomine actiones dantur: tùm enim incertum maximè & dubium videtur esse, utrum una per alteram consumatur atque tollatur; an verò utrâque simul, vel separatim omnibus experiamur. Aliàs ubi DIVERSARUM RERUM NOMINE uni adversus eundem plures actiones concessæ sunt, omnes intentare licere tralatitium est. Nam si quis ex causa judicati certam pecuniam debenti, aliam pecuniam crederet, licet non adjiciat in cautione pecuniæ creditæ, sibi ex causa judicati aliam pecuniam debitam esse: is tamen nihilominus utramque petitionem integram salvamque habet, ut respondit Paulus *in l. 29.*



*l. 29 ff. de oblig. & act.* quin imò hoc usque adeò procedit, ut licet singularum petitionum quantitas intra jurisdictionem judicantis sit; coacervatio verò utriusque, modum exsuperet jurisdictionis illius; adhuc tamen utraq; intendi possit, ut olim Sabino, Cassio, & Proculo placuit, quorum sententia rescripto Antonini Imperatoris, testante Cajo in *l. 11. ff. de jurisdic.* confirmata est. Ex quo simul illud intelligi potest, quod verba, **EIUSDEM REI NOMINE**, hîc non sint accipienda, de vi & potestate actionis (ut scilicet actiones concurrentes ad idem, seu eundem finem tendere necesse sit) sed de re, quæ vel in obligationem conventionem deducta est, vel circa quam obligatio vertitur, ut *l. 130. ff. de R. I. l. 60. de obl. & act. §. ult. in fin. Inst. si quadrup. pauper. fec. dic.*

## V.

Dicitur etiam, **SIMUL COMPETUNT**. Ubi observand. quod propriè & verè concurrere dicantur actiones, quando plures actiones circa eandem rem ita competunt, ut si una earum actum fuerit, per litis contestationem, vel etiam sententiam ipsam liberatio ab altera non contingat, etsi in ea plus non sit, *§. 1. in fin. Inst. si quadr. paup. fec. dic. fac. l. 130. ff. de R. I.* sive reus fuerit condemnatus, sive absolutus; nisi quatenus & quousq; ex alterutra solutum & perceptum est. *l. 18. §. ult. ff. de const. pecun. l. 28. ff. de act. empt. l. 2. §. 1. ff. de tut. & rat. distrah. quò facit l. 3. cum seq. ff. de his qui effud. vel dejec.* Nonnunquam tamen concursus actionum dicitur, quo quidem plura remedia circa eandem rem jure conceduntur, sed ita, ut non simul, sed alternatim competant, & uno electo ad alterum regressus non detur, etsi actor nihil inde perceperit, *exempl. l. 28. §. 4. ff. de jurejur. §. 16. Inst. de obl. quæ ex del. l. ult. §. 1. C. de furt. l. ult. pr. C. de Codicill. fac. l. 33. in fin. ff. de leg. 1. l. 20. ff. de opt. vel elect. leg. cum simil.* vel in quo sententia in uno iudicio lata, parit exceptionem rei iudicatæ in altero, *l. 3. 5. 7. 14. §. 2. l. 27. ff. de except. rei*

A 2 jud.



*jud. l. 4. §. penult. & ult. ff. de nox. action.* Quo modo etiam in hac disputatione actiones passim concurrere dicuntur.

V I.

Dividi concursus Actionum pingui rudiq̄ue Minerva potest, ut alius constituatur REALIS, PERSONALIS alius, alius denique MIXTUS.

V I I.

REALIS describi potest, quando plures ejusdem rei nomine competunt in rem actiones, ex diversis causis: v. g. si Titio & Mævio eadem res legata fuerit; deinde, die legati cedente, Titius Mævio heres extiterit: liberum pronunciat Labeo, an ex proprio legato Titius adquirat legatum, an ex eo, quòd Mævio heres extiterit. *l. 12. pr. Dig. de leg. 1. fac. l. 11. §. 2. l. 14. §. 2. ff. de exception. rei jud. l. 3. C. de petit. hered.*

V I I I.

PERSONALIS appellari solet, si duæ pluresve actiones in personam ejusdem rei nomine coacervantur: veluti, cum is qui venditorem obligatum habebat, ei, cui idem venditor obligatus erat, heres extiterit: constat duas actiones in ejusdem persona concurrere, propriam & hereditariam: & licere heredi instituto, si velit, separatim duarum actionum commodo uti; ante hereditatem aditam proprium venditorem convenire; post aditam hereditatem, hereditarium: quod si prius placuerit adire hereditatem, unam tantum movere actionem ei permissum est, per quam tamen utriusque contractus sentiat commodum. Idem etiam obtinet ex contrario si venditor venditori heres extiterit: quemadmodum refert Ulp. *l. 10. ff. de act. empt. & l. 18. ff. de obl. & act.*

V I X.

MIXTUM dicimus, ubi actio in rem cum actione in personam concurrat: velut actio ex testamento & rei vindicatio



dicatio, in l.1. C. commun. de legat. §. 2. Institut. de legat. actio ad exhibendum & rei vindicatio. §. 29. Institut. de R. Divis. Condictio furtiva & rei vindicatio, §. ultim. Inst. de obl. qua ex delict. Actio ex Edicto de alienatione iudicii mutandi causa, cum actione in rem. l.3. §. 1. l.4. §. 2. 4. Dig. de alien. jud. mut. ca. cum l.3. §. ult. D. d. t. l. 27. §. 3. l. 26. pr. & pass. D. de R. V.

X.

PERSONALIS istius ACTIONUM CONCURSUS rursus subdivisio est, quae IN REI PERSECUTORIUM, POENALEM, ET MIXTUM dispescitur.

XI.

REI PERSECUTORIUS est, quando plures rei persecutoriae actiones concurrunt: quemadmodum actio ex stipulatu & actio ex testamento, in d. l. 18 ff. de obl. & act. & duplex actio ex vendito, in l. 10. ff. de act. empt.

XII.

POENALIS insuper est, quando plurium actionum poenaliu fit coacervatio: ut in l. 1. ff. vi bon. rapt. actio furti & actio vi bonorum raptoru concurrunt: item L. Aquiliae actio & actio arboru furtim caesaru, in l. 1. ff. arbor. furt. cas.

XIII.

MIXTUS tandem vocatur, quando cum actionibus rei persecutoriis poenales etiam cumulantur: veluti, furti actio cum conductione furtiva, l. 7. §. 1. ff. de cond. furt. junct. l. 45. ff. pro soc. item, furti actio cum actione depositi, locati, l. 29. pr. D. de pos. l. 3. C. eod. l. 42. ff. locat.

XIV.

Ut autem clarius percipi possit, an quis vel omnibus actionibus, vel una atque altera tantum experiri possit, (saepè enim omnes & singulas actiones intentare quis potest: saepè etiam alterutra contentus esse debet, ut ex seqq. patebit) Actionum haecce genera diligenter inter se veniunt discernenda.

A 3. Quod





## X V.

Quod si enim primò plures ACTIONES REALES, sive in rem, ejusdem rei nomine constitutæ sunt, unam tantum dictari posse, & si actor rem suam ea fuerit consecutus, reliquas absorberi juris est. Quemadmodum enim res semel tantum mea esse potest, §. 6. *Inst. de legat. l. 3. §. 4. ff. de acquir. poss. l. 14. §. 2. D. de except. rei judi.* ita postquam semel ejus possessionem nactus sum, actione in rem eam mihi restitui petere non possum. Cùm enim actionum in rem natura hæc sit, ut jus vel rem, quam quis suam esse dicit, persequatur, consequens est, eum qui una actione rem vel jus suum obtinuit, alia quæ ad eundem finem tendit, id frustra petere, *fac. l. 1. §. 4. Dig. Vti possidet. §. 2. Institution. de action.* Quod si reus à priori judicio fuerit absolutus, exceptione rei judicatæ non repellitur, si eandem rem, quam in priori judicio causa adjecta petiit, & non obtinuit, postea ex alia causa petat, *l. 11. prin. §. 2. Dig. de except. rei jud. l. 3. Cod. de hered. petit.* Sic etiam qui in rei vindicatione succubuit, potest Publiciana eandem rem petere. *l. 39. §. 1. l. 66. prin. Digest. de evict.* hujus enim causa proxima est justa possessio: illius verò (rei vindicationis) proprietas.

## X V I.

Plurium IN PERSONAM quando contingit actionum concursus, tum alia aliam ipso concursu, vel litis contestatione aut sententia secuta (supra th. s.) tollere non consuevit, sed omnibus experiri concessum est. Quemadmodum enim una eademque res sæpius deberi. *l. 159. Dig. de R. l. l. 14. §. 2. Dig. de except. rei jud.* ita sæpius etiam peti atque exigi potest: singulas enim obligationes singulæ tunc causæ sequuntur: nec ulla earum alterius petitione vitiatur. *d. l. 14. §. 2. Dig. de except. rei jud.*

## X V I I.

In hujus autem cognitione probè attendendum, an hæ

IN PER-



235.

IN PERSONAM actiones omnes sint REI PERSECUTORIÆ:  
an POENALES omnes: an VERÒ PARTIM REI, PARTIM POE-  
NÆ PERSECUTORIÆ.

XVIII.

In actionibus REI PERSECUTORIIS spectandum an omnes EX UNA EADEMQUE CAUSA, sive negotio aut contractu; an VERÒ EX DUABUS PLURIBUSVE CAUSIS ad eandem rem persequendam competant.

XIX.

Quod si omnes EX UNA EADEMQUE CAUSA profiscuntur, tum, si una in iudicium deducta & effectum suum consecuta sit, reliquæ quo ad quantitatem, quam actor ex priori actione percepit, expirant. *l. 38. §. 1. l. 43. Dig. pro soc.* Non enim bona fides patitur, ut idem bis exigatur. *l. 57. de R. I.* omnes etiam istæ actiones concessæ sunt atque datæ, non ea intentione, ut iis omnibus cum effectu utantur actores: Verùm ut laxior iisdem sit atq; uberior agendi facultas. *l. 76. §. 8. D. de leg. 2. l. 85. l. 108. §. 2. Dig. de leg. 1.* Actiones igitur hæ rei persecutoriæ sese invicem tollunt, si actor ex altera, id quod sibi debetur, fuerit consecutus, *dd. ll.* Quin etsi proxima causa petendi eadem sit in actione posteriori, qua non attenda in priori iudex reum absolvit, rei iudicaturæ exceptio actori obstat, quamvis ex priori actione nihil perceperit. *fac. l. 3. §. 7. §. 4. l. 14. §. 2. l. 27. de except. rei jud. l. 4. §. pen. & ult. ff. de nox. act.* XX.

Si autem una actio altera pinguior esset, plusque in se contineret, unam hoc casu qui instituerit, non prohibetur ad plenioram convolare; respectu nimirum istius, quod plus in altera est: ut, si intentata sit actio communi dividundo, non tollitur pro socio actio: & vicissim si prius actum pro socio, communi dividundo actione adhuc experiri licet: hæc enim omnium rerum adjudicationem habet, illa non item: actio pro socio contra nominum rationem



nem admittit, non etiam actio communi dividundo. *d.l.*  
*38.43.47. & seqq. Dig. pro soc.*

X X I.

Quapropter si una ex iis actum fuerit, altera eo ipso non consumitur, hac tamen adhibita limitatione, ut actor posteriore actione ( siue pro socio actio, siue communi dividundo prius proposita fuerit ) hoc minus consequatur, quod ex prior actione adeptus est *l.34. D. de obl. & act. fac. l.28. Dig. de act. empt.* Et hoc si posterior actio sua natura & semper plus persequatur, quam prior; si verò in una tantum ex accidenti plus sit quam in altera, tunc sese mutuo perimunt in totum, etsi prius ea, quæ minus continet, actum fuerit. *exemp. l.9 §.1. Dig. de tribut. act. l.4. §.ult. D. quod cum eo qui in al. pot. l.13. pr. Dig. de instit. act. l.1. §.ult. D. quando de pecul. act. annal.*

X X I I.

Et quod haftenus dictum est obtinere in actionibus rei persecutoriis ex una causa proficiscentibus: idem dicimus etiam observari, si **OB IDEM FACTVM IDEMQUE DELICTVM** in re, super qua contractum est, vel quasi, aut delictum commissum, **PLVRES CAVSÆ SEV OBLIGATIONES**, & ex iis diversæ **REI PERSECVTORIAE ACTIONES** competunt: e. g. si commodatarius in re commodata furtum commiserit, eamq; surripuerit, tunc rem ablatam vel actione commodati, vel condictione furtiva licet repetere. *l.34. §.1. D. de obl. & act. l.71. Dig. de furt.* item, si colonus ex fundo aliquid subtraxerit, res subtracta & actione locati, & condictione furtiva repeti potest. *d.l.34. §.2. D. de obl. & act.*

X X I I I.

Verum, quia actor utraq; actione rem ipsam persequitur, iccirco actiones istæ sese invicem consumunt, ita ut unius usurpatione, altera perimatur atque expiret; idq; vel ipso  
jure,



jure, si prius stricta proposita fuerit actio (qualis est conditio furtiva) post verò assumatur actio bonæ fidei, velut commodati, vel locati: vel per exceptionem, quam reus proponere potest; ubi nimirum prius actione bonæ fidei actum fuerit. *d.l.34. §.1. & 2. ff. de obl. & act.* Quamvis enim solutio non tantum actiones bonæ fidei, sed etiam actiones stricti juris ipso jure tollat, quia verò hinc diversæ sunt actiones & diversæ causæ petendi (quamvis ex eodem facto) altera commodati & altera furti, ideò solutione ea tantum actio & causa principaliter & directò ipso jure tollitur, ex qua solutio facta est, altera verò tantum secundariò & per consequentiam, *fac.l.28. ff. mandat. l.47. Dig. de condict. indeb.* & per exceptionem doli, ne scilicet idem bis solvere necesse sit. *l.57. Dig. de R. I.* Quia verò exceptio doli bonæ fidei judiciis ipso jure inest, *l.3. Dig. de rescind. vend. l.7. §.5.6. Dig. de pact. l.21. Dig. sol. matr. l.84. §.5. Dig. de leg.1.* ideò reus ipso jure tutus esse dicitur, si post propositam stricti juris actionem, actione b. f. conveniatur. *d.l.34. §.1.2.* Et contra, quia actionibus stricti juris exceptio doli non inest ipso jure, sed eam inferi formulæ judicii, sive ab initio contestari necesse est. *l.8. & l. seq. C. de except.* ideò post actionem b. f. primo loco institutam, actio stricta sive non b. f. quæ super est, non ipso jure, sed opposita exceptione perimii & consumi dicitur. *d.l.34. §.1. l.14. §.13. Dig. quod. met. caus.*

## XXIV.

Et hoc ipsum habetur etiam in *l.28. Dig. de act. empt.* Respondet enim ibidem J. C. T. U. S., licet emptor venditori duplici teneatur ex causa, vendito scilicet & stipulatu: si tamen hic prius intentaverit actionem ex stipulatu, ipso jure corruiere actionem ex vendito: hanc verò si prius instituerit, actionem ex stipulatu per exceptionem removeri posse.

B 25. Quam-



## XXV.

Quamvis autem per se & ipso jure in bonæ fidei iudicio sit & contineatur exceptio: melius tamen & tutius esse si ea expressè opponatur, sive formulæ iudicii inseratur, suadet JCrus in l. 34. §. 1. *Dig. de obl. & act.*

## XXVI.

Ita etiam & in hunc sensum accipienda videtur. l. 71. *pr. Dig. de furt.* in qua furti actionis nomine conditio furtiva appellatur: *exempl. l. 9. Dig. de in lit. jur.* ut hic legis sensus sit: si furti, id est, condictione furtiva, actum sit, commodati actionē extingui; (quia scil. ipso jure exceptio doli ei inest) si hæc dictata fuerit, exceptionem actioni furti, id est, condictioni furtivæ opponi. *d. l. 71. pr. Dig. de furt.*

## XXVII.

Actionem autem locati, commodati, vel empti, ubi jam prius ex causa furtiva, vel ex stipulatu actum fuerit, & vicissim, consumi, eatenus verū est, nisi una actio amplius quid quā altera polliceatur, quod ea licet consequi, licet jam altera cum effectu instituta fuerit. *l. 47. Dig. pro soc. l. 82. Dig. de act. empt.* Et si enim actiones rei persecutorie sese invicem tollere soleant, ut *sup. th. 19.* dictum, interim tamen si altera ulterius quid polliceatur, in eo salva adhuc persistit. *l. 34. ff. de obl. & act.* Quin et si prius institutū sit b. f. iudicium, iudicis in eo partes erunt, ut si in concurrente actione plus sit, id sententia sua actori adjudicet, & actor ceteras actiones concurrentes remittat. *l. 25. §. 5. l. 43. Dig. locat. l. 7. §. 1. l. 18. §. 1. Dig. commod. l. 38. §. 1. l. 50. Dig. pro soc. l. 10. Dig. de act. empt. l. 9. pr. Dig. de novat. l. 36. §. 2. Dig. de hered. petit. l. 41. §. 1. ff. de obl. & act.* quod fit etiam si actione arbitraria prius actū sit. *l. 17. Dig. de R. V. l. 9. §. 1. Dig. de furt.*

## XXVIII.

Quod si verò Ex DUOBUS VEL PLURIBUS NEGOTIIS AUT FACTIS actiones rei persecutorie ad idem proficiscantur, altera



altera per alteram non perimitur, ne quidē in concurren-  
te quantitate, sed post alterā peractam altera in solidum  
cum effectu institui potest. *l. 10. Dig. de act. empt. l. 18. Dig. de  
obl. & act.* quia cum una eadēmq; res sapius diversisq; ex  
causis deberi possit, nihil etiam iniqui est, eandem rem sa-  
pius & tot ex causis peti atq; præstari: nisi tamen sint duæ  
causæ lucrativæ, quæ in unam atq; eandem personam & u-  
nam eadēmq; rem sive speciem cadere non possunt. §. 6.  
*Inst. de legat. l. 17. Dig. de obl. & act.*

## XXIX.

Facta autē & negotia ex quibus rei persecutoriæ actio-  
nes competunt, vel EIUDEM GENERIS sunt; veluti, si Ti-  
tius Sempronio vendidit fundum, eundem quoq; postea  
vendidit Mævio, ibi utriq; & Sempronio & Mævio obliga-  
tur & tenetur ex vendito. *l. 10. Dig. de act. empt.* Planè etiam  
si à Mævio Sempronius heres institutus fuerit, nihilomi-  
nus adhuc Sempronio & ratione sui cōtractus, & ratione  
defuncti Mævii, cui heres hic Sempronius extitit, obligatus  
remanet: adeoq; is Sempronius bis contra eum actione  
venditi (ante aditam hereditatem tanquam debitorē pro-  
prium: post aditam verò hereditatem, ut debitorem here-  
ditarium) experiri potest. *d. l. 10. Dig. de act. empt.* Quod si ve-  
rò prius, quàm nomine proprii debiti adversus Titium ex-  
pertus est, adierit hereditatem, unam (si velit, *l. 36. §. 2. Dig.  
de hered. petit.*) actionē instituere & per eam utriusq; con-  
tractus & sui & defuncti commodum sentire potest. *d. l.  
10. vers. quod si prius.*

## XXX.

Vel sunt DIVERSI GENERIS, e. g. si is qui Stichum  
dari stipulatus fuerat, heres extiterit ei, cui ex testamen-  
to idem Stichus debebatur. Si ex testamento Stichum  
petierit, non consumet stipulationem: & contrà, si  
ex stipulatu Stichum exegerit, actionem ex testamento

B 2

salvam



salvam habebit: ratio est, quia initio ita constiterint hæ  
dæ obligationes, ut altera in iudicium deducta, altera ni-  
hilominus integra remaneret. *l. 18. Dig. de obl. & act.*

XXXI.

Ex quibus manifestum est, quòd si eadem res eidem  
& ab eodem duplici ex causa & obligatione debetur, non  
modò si actor in una actione victus fuerit. *l. 28. §. ult. Dig.  
de liber. leg. & l. 93. §. 1. Dig. de leg. 3. l. 14. §. 3. Dig. de except.  
rei jud.* verùm etiam si victoriam obtinuerit, altera insti-  
tui possit. *l. 18. Dig. de obl. & act. l. 10. Dig. de act. empt.* Quin-  
imò non diversam tantùm à priore intentata permissum  
est actionem instituere; sed interdum etiam eandem cer-  
tis ex rationibus instaurare atq; repetere licet: iusto nimi-  
rùm errore interveniente. *l. 13. Dig. de instit. act. l. 1. §. ult.  
Dig. quand. de pecul. annal. act. l. 4. §. ult. Dig. quod cum eo  
qui in al. vel, si exceptio in priori iudicio temporalis exti-  
tit. l. 1. §. ult. Dig. quand. de pecul. l. 15. Dig. de obl. & act.* item,  
ubi generalis actio priùs certis de rebus instituta est, ite-  
rùmq; de aliis rebus refertur. *l. 2. C. de judic. vel nova causa  
in reo supervenerit, ob cuius defectum priori à iudicio fuit  
absolutus, exempl. l. 17. de except. rei jud.*

XXXII.

Quod si porrò actiones IN PERSONAM omnes POENA-  
LES sunt, id est, tantùm poenæ persecutoriæ, tum maximè  
interest propter UNUM FACTUM ET UNUM DELICTUM; an  
propter UNUM FACTUM ET PLURA DELICTA; vel propter  
PLURA FACTA ET PLURA DELICTA competant.

XXXIII.

Ad priorem casum quod attinet, quando scil. UNUM  
EST FACTUM, UNUMQUE DELICTUM cuius nomine plures  
competunt actiones, respondet Jctus, omnibus experiri  
permissum esse, nec una ex iis instituta reliquas absorberi.

*l. 23.*



*l. 32. Dig. de obl. & act. e. g. si furtim arbores ab aliquo caesa fuerint, unum factum erit, unumq; delictum, ejus tamen nomine plures actiones, L. Aquiliae scil. & ex Legibus XII. Tabb. arborum furtim caesarum dabuntur. l. 1. Dig. arb. furt. cas. item, Publicanus injuste aliquid auferens, vel damnū inferens, unum factum unumve delictū committit, quod tamen pluribus persequi actionibus licet: concurrunt etenim hinc actio furti, actio L. Aquiliae, actio vi bonorum raptorum, cum actione ex Edicto. l. 1. §. 2. Dig. de publican. Huc etiam referri solet exemplum. l. 1. Dig. vi bon. rapt. & l. 88. Dig. de furt. In quibus ex delicto vi bonorum raptorum non tantum actio istius delicti propria, sed etiam actio furti manifesti & nec manifesti concurrere traditur. Quamquam possit etiam haec species ad sequens membrum non incommodè referri, ut dicamus in hoc facto, pro ejus diversa consideratione, duo delicta concurrere, furtum scil. & rapinam, ex quibus etiam diversae actiones (cum effectu, de quo in *th. seqq. & th. 44.*) competunt. *dd. ll.**

## XXXIV.

In his igitur casibus una actione si quis usus fuerit, reliquas non perdet; sed post priorem istam nihilominus easdem instituere poterit: hoc tamen observato, si posterioribus istis actionibus ulterius aliquid, quam in prima consecutus est. *d. l. 1. & pen. Dig. arb. furt. cas. d. l. 1. Dig. de vi bon. rapt.* Quapropter cum ex uno delicto plures nascuntur actiones, quemadmodum in propositis *thes. preced.* casibus accidit, omnes instituere licet, *l. 32. Dig. de obl. & act.* si neminem priori semper loco levior instituta fuerit: tunc enim id quod reliquae graviores amplius promittunt, iisdem adhibitis adhuc exigere licebit. *dd. ll.*

## XXXV.

Si igitur adversus raptorem initio intentaveris actionem

B 3 nem



nem furti nec manifesti in duplum; liberum in super erit  
actione vi bonorum raptorum in aliud duplum experiri.  
*l. 1. Dig. de vi bon. rapt. l. 88. Dig. de furt. item, si prius ob arbo-*  
*res furtim cæsas actum fuerit L. Aquiliæ actione, nihil ob-*  
*stat quò minus ulterius actio arborum furtim cæsarum usur-*  
*pari jure possit: ratio est, quia in hac actione duplum. l. 7. §.*  
*ult. Dig. arb. furt. cæs.* (quod tamē non totum poena est, *arg.*  
*l. 1. 8. pr. l. 9. Dig. d. t.*) & proinde plus continetur, quàm in  
actione L. Aquiliæ, in qua id tantum poena est, quatenus  
res intra 30. dies proximos pluris, quàm tēpore damni dati  
fuit. *l. 14. Inst. ad L. Aquil.* Sic etiam, ubi contra publicanum  
primò quis egerit ex Edicto de publicanis, adhuc propter  
id, quod plus consequi potest vel actione furti manifesti,  
vel actione vi bonorum raptorum, easdem instituere non  
prohibetur. *l. 1. §. 4. Dig. de publican.*

XXXVI.

Contra verò ubi non levior, sed gravior actio prius in-  
tentata, & actor majorē poenam consecutus fuit; hæc alias,  
quæ minorē summam persequuntur, in totum consumit.  
Proindè si prius adversus raptorē actione vi bonorum ra-  
ptorum actum fuerit, ad actionē furti nec manifesti post  
conyolare non licet. Et, si ob arbores furtim cæsas primò  
expertus fueris actione arborum furtim cæsarum, postea  
actionem L. Aquiliæ intendens nihil ages. Simili modo si  
contra publicanum initiò vi bonorum raptorum, sive fur-  
ti manifesti aut nec manifesti actio dictata fuerit, ad actionem  
ex Edicto de publicanis regressus postea interclusus  
erit: cum unius ejusdemq; facti æstimationē vel poenam  
bis petere & præstari, iniquum sit. *dd. ll.*

XXXVII.

Et hanc sententiam videtur definire Paulus in *l. 41. §. 1.*  
*Dig. de obl. & act.* dum inquit: si ex eodem facto (adde, & de-  
licto) duæ competunt actiones: postea Judicis partes fore,  
ut



ut quò plus sit in reliqua actione, id actor ferat, si tantundē aut minus, NIHIL consequatur. Si quidem probanda est correctio Cujacii. *lib. 3. obs. c. 25.* qui in *d. l. 41. §. 1. pro I D,* reponit NIL: quem sequuntur Obrecht. *de concurs. act. th. 585. & seq. & de concip. & formand. libell. c. 22. n. 5.* Tim. Fab. *ad Instit. disput. 28. th. 2. lit. b. & alii alleg. ab Hilliger. in Don. enucl. lib. 21. c. 3. lit. S.* Hæc tamen mutatio textus non est necessaria, sed patitur etiam recepta lectio commodam interpretationē, quam attigi. *sup. th. 27. & ostendit Coll. Jur. Arg. lib. 47. tit. 1. th. 11. n. 3.*

## XXXVIII.

Probabile itaq; est, ut *dict. l. 32. Dig. de obl. & act.* interpretemur ita, ut omnibus quidē actionibus experiri permittatur ipso jure; sed per exceptionem vel Judicis officio superiores actiones excludantur: cūm singulis factis & delictis non plures, sed singulæ tantum pœnæ debeantur. *l. 15. §. 1. ff. ad Sctum Turpill.*

## XXXIX.

Huc referri etiam potest, quod idem Paulus in *l. 4. §. 2. & ult. ff. de nox. act.* tradit; Servo delictum aliquod committente dominum dupliciter teneri; tum ratione scientiæ suæ, tum nomine servi. Una tamen pœna exacta, quam actor elegerit, alteram tolli. Exacta, inquam, pœna; quia non petitione unius pœnæ, sed exactione demum altera actio tollitur, *l. 26. §. 3. ibi, altero solvente, Dig. d. t. l. 3. 4. Dig. de his qui dejec.* Quin etsi ex pretio servi noxæ dediti (quod hîc computandum est, *l. 17. 31. Dig. d. t.*) minus colligatur, quàm à domino sciente exigi potuisset, in id quod amplius est in damni aut pœnæ persecutione, dominus qui scivit, suo nomine conveniri & condemnari potest. *dd. ll.* Quod si tamen actor, detracta noxæ deditioe, cum domino tanquam confcio egerit, absolutione facta & finito judicio, amplius agendo cum noxæ deditioe exceptione rei judicatæ summovetur. *d. l. 4. §. 2. quamvis ante latā sententiam.*



tentiam, post litem contestatam, possit ad noxalem causam transire, licet cum domino tanquam conscio litem contestatus sit: & contra. *d. l. 4. §. ult. fac. l. 3. C. de Edend. §. 34. & seq. Inst. de act.*

XL.

Sic & interdum ex eodē facto eodēmq; delicto in eadem re perpetrato eadē actio diversis ex causis repeti potest: cuius exemplum extat in *l. 46. Dig. ad L. Aquil.* ubi de vulnerato servo primò L. Aquilię actio proposita fuit: postea eodē mortuo, ex eo vulnere eadem L. Aquilię actio nihilominus referri atq; intentari potest: ratio est, quia in posteriori casu ea plus persequitur, quàm antè petitū fuit.

XLI.

Et huc usq; de primo membro: Sequitur nunc alterū, in quo UNUM quidē FACTUM tantū, sed PLURA DELICTA proponūtur: & hoc etiam casu actiones se invicē nō perimunt, sed actori omnibus experiri permissum est. Veluti si quis servū alienū injuriosè verberaverit, atq; hoc facto deteriorē etiam reddiderit, *l. 13. ff. de rei vind.* Is uno hoc facto & L. Aquilię, & injuriarū reum sese efficit. *l. 34. pr. ff. de obl. & act. l. 15. §. 46. ff. de injur. l. 5. §. 1. vers. & ideò interdū. D. ad L. Aquil.* Injuria enim ex affectu fit, minuitque honorem & existimationem, *l. 26. Digest. de injur.* at damnum ex culpa est, officitque rei familiari. *l. 44. Dig. ad L. Aquil.*

XLII.

Duo igitur in hoc uno facto concurrunt delicta, totidēmq; actiones competunt, *d. l. 34. pr. Dig. de obl. & act.* Et licet actori quam voluerit actionem primò exercere, & postea etiam alteram instituere: Ita tamen ut posteriori actione non consequatur solidum, sed id tantū, quod plus in se continet, quàm erat in priori. *d. l. 34. l. 53. pr. Dig. d. 1. utputà,* si retrò in mense proximo iste servus pluris fuerit, quàm in priori judicio injuriarum lis aestimata est (in



240.

(in qua æstimatione etiam damni ratio haberi solet. *l. 3. C. de injur. l. 17. §. 2. Dig. eod.* quo respectu concursus harum actionum potius ad membrum. *th. 50. & seqq.* referendus videtur) id quod pluris est, per secundam actionem adipisci licebit; & contra. *d. l. 34. pr.*

#### X L I I I.

Sic, si quis virginem alienam intempestivam viro corruptit, is non solum injuriam fecit, verum etiam damnum dedit, indeque unicum est quidem factum, at duo delicta simul eodem tempore admessa. *Paul. lib. 1. sent. tit. 13. vers. 6.* ob quæ corruptor & in actionem *L. Aquiliae*, & in actionem injuriarum incidit. Et utraque actione conveniri potest. *fac. l. 25. Dig. de injur. l. 6. pr. Dig. ad L. Iul. de adult.*

#### X L I V.

Sed hæc vera sunt atque obtinent, quodocunque una actio amplior est altera: tum enim nemo, post eam quæ minus continet, alteram uberiores intendere prohibetur, juxta *d. l. 34. pr. Dig. de obl. & act. l. 1. Dig. de vi bon. rapt. l. 4. §. 2. de nox. act. l. 1. & pen. Dig. arb. furt. cas. l. 7. §. 1. in fin. Digest. commodat.* Ubi verò actiones istæ æquales, nec altera earum ulterius quid consequimur, obtinet definitio Pauli in *d. l. 34. pr.* & Modestini in *l. 53. Dig. de obl. & act.* Plura delicta in una re, plures admittere actiones, sed non omnibus uti, simul sc. & in solidum, probatum esse.

#### X L V.

Ad Tertium & ultimum casum *sup. th. 32.* propositum quod attinet, quando scil. PLURA sunt FACTA, & PLURA DELICTA, extra dubium est, singulis factis singulas deberi actiones, & singulis singulas irrogari poenas *l. 27. Dig. ad L. Aquil. l. 25. Dig. de injur. l. 11. §. ult. D. de serv. corrupt. l. 60. Dig. de obl. & act. l. 130. Dig. de R. I. l. 13. Dig. de lib. caus.* Nunquam enim plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impuni-

C

tas



nititas detur. *l. 2. pr. D. de priv. del.* Nec delictum ob aliud delictum minuit poenam *d. l. 2.*

XLVI.

Alunt autem facta ista inter sese vel SIMILITUDINEM quandam, v.g. quando servus in re hereditaria, ante aditam hereditatem damnum dedit, & postea liber factus in eadem hereditate damnum det, utroque modo actioni L. Aquiliae obnoxius est: quia sunt duo facta & duo delicta, sive, quia alterius facti hæ res, id est, actiones sunt, ut loquitur Paulus in *l. 48. ff. ad L. Aquil.* Sic sapius ejusdem rei furtum quis committere, & actione furti tam manifesti quam nec manifesti teneri potest, *l. 21. pr. l. 56. ff. de furt.* sic qui servum vulneravit, & postea eum occidit, & de vulnerato, & de occiso tenetur duplici actione L. Aquiliae. *l. 32. §. 1. l. 11. §. 3. ff. ad L. Aquil.*

XLVII.

Vel DISSIMILITUDINEM aliquam inter se habent: ut, si tutor pecuniam pupillarem intercipit; hinc enim duo veniunt, facta & tutelæ mala administratio, & furtum; ex quibus non modò rationibus distrahendis actione, sed etiam furti tenetur; & illa conventus, hac non liberatur: utraque enim ex eodem facto non oritur, sed ex gestione & administratione tutelæ prava una, altera autem ex furto descendit. *l. 1. §. 22. l. 2. §. 1. ff. de tutel. & rat. distrab.*

XLVIII.

Sic, qui hominem surripuit & occidit, duo facta duoque delicta committit: quia & surripuit & occidit, indeque duabus tenetur actionibus; furti, ob surreptionem; L. Aquiliae, ob occisionem; neque altera harum actionum alteram consumit. *l. 2. §. 1. ff. de priv. delict.* Idem dicitur etiam, si quis rapuerit & occiderit, is enim & vi bonorum raptorum & L. Aquilia tenebitur. *d. l. 1. §. 2.* Item, si quis furtim arbores cæciderit, & lucrifaciendi causa contrectaverit:



24.

verit: ex his factis enim & arborum furtim caesarum, & L. Aquilia, quia ligna caecidit; & furti, quia ea contrectavit, & condictione, & ad exhibendum tenebitur. *l. 8. §. 2. arbor. furt. cas.* Ita, qui canem, verrem, aprum, ursum, leonem, &c. ibi habuerit, qua vulgo iter fit, & per id nocitum libero homini fuerit, propter duplex factum duplexque delictum, & aedilitiae actioni & actioni de pauperie subiacebit. *§. ult. Instit. si quadr. paup. fec. dic.* Sic qui servo persuasit, ut domino furtum faceret, & servi corrupti & furti tenetur: nec altera alteram minuit. *l. 11. §. 2. ff. de serv. corrupt. l. 20. C. de furt. §. 8. Inst. de obl. qua ex del.*

XLIX.

Huc pertinere videtur id, quod Ulpianus scribit *l. 130. ff. de R. I. & l. 60. ff. de obl. & act.* & ex eo Imperator in *§. ult. in fi. Inst. si quadr. paup. fec. dic.* Nunquam actiones poenales de eadem re seu pecunia concurrentes, alia aliam consumit.

L.

Et haec de poenali actionum concursu: sequitur concursus MIXTUS, in quo concurrunt actiones in personam, partim rei, partim poenae persecutoriae; ut *sup. th. 10.* dictum: Et tum actio poenalis concurrens cum rei persecutoria, vel est merè talis, vel mixta.

LI.

Actione merè poenali & alia rei persecutoria concurrentibus, una alteram non consumit; v. c. conditio furtiva persequens rem ipsam, non tollit actionem furti petentem poenam legitimam. *l. 7. pr. & §. 1. ff. de condict. furt. §. ult. Instit. de obl. qua ex del.* & actio furti non tollit actiones pro socio, locati: neq; vicissim actiones pro socio, vel locati consumunt actionem furti. *l. 45. ff. pro soc. l. 42. ff. loc.* Hocque in omnibus bonae fidei iudiciis verum est, ut non tollant furti actionem, aut per eam ipsae tollantur. *dict. l. 45. in fin.* Ratio est, quia utrunque res & poena separatim debetur.

C 2

l. 54.



*l. 54. §. 3. D. de furt. l. 12. C. eod. & propterea alterius solutione non liberatur debitor ab altero. Si tamen actor ex una eademque causa adversus unum habeat actionem rei persecutoriam, adversus alterum actionem merè poenalem, tùm altera alteram tollit in totum, ut nec post poenalem rei persecutoria, nec post hanc illa institui possit. l. 3. §. ult. D. Naut. Caup. Stabul. l. 53. §. 1. D. de furt. l. ult. C. eod. §. 16. Instit. de obl. qua q. ex del. Quod si actio merè poenalis cõcurrat cū actione mixta, tùm hæc per illam ratione rei quam persequitur, non consumitur: respectu poenæ autem, quæ ei inest, eatenus altera alteram tollit, quatenus actiones poenales concurrentes se invicem consumere dictum est: exempla vid. in l. 88. Dig. de furt. l. 1. D. vi bon. rapt. l. 2. pr. & §. 1. 2. 4. & seqq. D. de priv. del. l. 27. pr. Dig. ad L. Aquil. Idem est si plures actiones mixtæ unâ competunt, nam & tunc ex diversa consideratione rei vel poenæ quam persequuntur, decisio ex regulis de concursu actionum merè realium, & merè poenalium petenda est. exempl. l. 32. §. ult. D. ad L. Aquil. l. 1. §. 2. 3. D. de Publican. l. 2. §. 2. 5. Dig. de priv. delict. l. 1. 11. Dig. arb. furt. cas.*

L I I.

Si una autem est mixta, & poenam & rei persecutionem continens, tunc ea electa altera merè rei persecutoria in totum perimitur, *l. 2. §. 3. Dig. de priv. del.* ratio est, quia ubi mixta actione experimur, ea ipsa etiam rem consequimur. *l. 34. in fin. Dig. de obl. & act.* e.g. si quis alii commodat vestimenta, is autem ea rumpit, tenetur commodatarius commodanti duplici actione, commodati nimirum & L. Aquiliæ, *l. 18. §. 1. Digest. commodat.* Si verò commodans prius intentaverit actionem L. Aquiliæ, ipso jure perdit actionem ex commodato: cum enim actione L. Aquiliæ rem ipsam jam adeptus sit, bona fides non patitur, ut eandem iterum exigat. *l. 57. de R. I.* Contra verò si prius egerit actione commodati, actio L. Aquiliæ salva adhuc



huc agenti relinquatur in id, quod amplius ea pollicetur ac continet. Quamvis enim actor actione commodati perceperit aestimationem damni dati; attamen actio L. Aquiliae non est in totum perempta, sed adhuc superest in eo, quod res retrò 30. diebus plurimi fuit: quod ipsum simpli, quod in persecutionem L. Aquiliae venit, continetur; & facit ut simplum L. Aquiliae, sive totum id, quod L. Aquilia persequitur, per actionem commodati non omnino sit subductum, & proinde in eo quod plus est, post actionem commodati remaneat. *l. 34. §. ult. in fin. D. de obl. & act.* (ut eam explicat Coll. Jur. Arg. *dict. lib. 47. tit. 1. th. II. n. 7.* Aliter eam explicat Hillig. *in Don. enucl. lib. 21. c. 3. lit. 2. p. (mibi) 756.* Cujacius verò *lib. 3. obs. 25. particul. negat. in fin. d. l. 34. expūgit, & legit, locum habet.*) Hoc verò, ut dictum, obtinet, nisi actorem rei persecutoria, qua primò egit, tantundem tulerit, quantum ex actione mixta concurrente laturus fuisset. Si enim Judex reum in id etiam condemnavit, hæc per illam penitus consumitur. *dict. supr. th. 27.*

## L I I I.

Porro mixta illa actio iterum vel arbitraria est, vel non arbitraria. Prioris vis atque effectus est, ut quando res ipsa restituta fuerit, poena cesset: quia nulla adest contumacia, cujus alter poenam sufferat. Quod secus est in posteriori non arbitraria, §. *præterea 31. Inst. de Action.*

## L I V.

Hinc accidit, si actio rei persecutoria & actio arbitraria mixta unà concurrunt, ut hæc posterior in totum tollatur, si actor priori rem nactus fuerit. Sic enim actione in rem restitutoria, vel de dolo, consumitur actio quod metus causa. *l. 9. §. 4. & 6. l. 21. §. ult. Dig. quod met. caus.* Hinc fortè etiam est, ut si actum fuerit actione tutelæ vel conditione furtiva, tollatur actio de rationibus distrahendis, cum sit mixta in duplum, & ex eadem, ex qua & tutelæ actio, obligatio-



gatione, oriatur. *l. 1. §. 21. & l. 2. §. 1. & in fin. Dig. de tut. & rat. distrak.* Postquam igitur pupillus condictione furtiva id, quod ablatum fuit, & si quid prætereà interest, consecutus est, nihilque ei amplius abest, actio de rationibus distrahēdis meritò cessat, peremptā quippe per rei & ejus quod interest restitutionem obligatione tutelæ, & re cujus in duplicādo ratio habetur deficiente. *d. l. 1. §. 20. 21. D. de tut. & rat. dist. l. 55. §. 1. D. de adm. & per. tut. l. 57. de R. I. vid. Cujac. lib. 8. obs. c. 34. Obrecht. de concurs. act. th. 119. & seqq. & de concip. libell. c. 22. n. 39. 40. Hillig. in Don. En. d. c. 3. lit. Q. in fin.* Sic etiam actio in duplum ex Edicto de publicanis cessat, si actori res restituta fuerit. *l. 1. §. 4. 5. D. de publ.* Huc etiam refertur à nonnullis actio de calumniatoribus: quòd scil. reus in ea pœna quadrupli liberetur, si actori simplum restituit. *l. 5. §. 1. D. de calumniator. quòd fac. l. ult. ff. de eo quod cert. loc. l. 21. §. ult. l. 23. pr. D. de recep. qui arbit. l. 2. pr. l. 5. §. 1. Dig. si quis caut. in jud. Verùm probabilius videtur, in hoc concursu actionis mixtæ ex Edicto de calumniatoribus, cū condictione ob turpem causam; si hac prius actū sit, alteram in triplum pœnæ adhuc superesse: & hoc sensu *d. l. 5. §. 1.* intelligendam esse trad. *Cujac. d. obs. 34. Obrecht. de concurs. act. th. 129. & seqq. & d. c. 22. n. 43. Hillig. d. c. 3. lit. Q. p. (mibi) 754. Tim. Fab. d. disp. 28. sive ult. thes. 4. vers. II. Deinde in d. l. 5. §. de calumn. & novissimè Clariss. Dn. D. Locam. Præcept. m. honorand. in Leg. concil. fascic. 16. c. 6.**

L V.

Contrà autem actione rei persecutoria concurrente cum actione mixta non-arbitraria, posterior hæc per illam non consumitur in totum, sed respectu ejus quod amplius complectitur, salva persistit. Sic conditio furtiva non cessare facit actionem vi bonorum raptorum, quæ superest in triplum. *l. pen. Dig. de vi bon. rapt.* nec per actionem commodati omninò extinguitur *L. Aquiliæ actio, ut dictum sup.* quemadmodum neque hæc posterior per conditio-



ditionem furtivam perimitur, *l. 2. §. 3. Dig. de priv. del.* Unde quod dicitur concurrentibus actionibus locati & L. Aquiliæ; item, arborum furtim cæsarum & locati, actorem una vel altera actione acquiescere debere. *l. 18. §. 1. Dig. commodat. l. 43. Dig. locat. l. 9. Dig. arb. furt. cæsar. l. 27. §. 11. Dig. ad L. Aquil. l. 50. Dig. pro soc.* ita accipiendum est: ut, si mixta prius fuerit actum, merè rei persecutoria postea agi non possit: Si verò actor priori loco intentaverit rei persecutoriam actionem, mixtam adhuc instituere possit, ita tamen ut eò minus mixta ferat actione, quàm ex rei persecutoria iam antè percepit. *fac. l. 7. §. 1. junct. l. 18. §. 1. Digest. commodat.* Nisi Judex in rei persecutoria, in id quoque, quod in mixta plurius est, reum ex officio condemnasset. *d. l. 43. Dig. locat. l. 50. D. pro soc. vid. supr. th. 52.*

## LVI.

Porro si iudicium privatum pœnale, concurrat cum iudicio publico ex eodem facto, alterum ab altero non consumitur, sed utroque experiri licet. *l. un. C. quand. actio. civ. crim. prejud. l. 23. §. 9. Dig. ad L. Aquil. l. 3. C. eod. l. 3. §. 6. Digest. de tab. exhib. l. 3. pr. Dig. de hom. lib. exhib. l. 4. Dig. de publ. jud. l. 2. §. 1. Dig. vi bon. rapt.* Nisi privatum iudicium in eam vindictam persequatur, tùm enim post alterum finitum, alterum non admittitur. *l. 6. in fin. l. 7. §. 1. Dig. de injur. junct. l. 2. §. 4. Dig. de collat. vid. Coll. Iur. Arg. d. tit. 1. th. 12. nu. 6.* De concursu privati iudicii pœnalis, cum accusatione criminali extraordinaria. *exempl. l. ult. Dig. de priv. del. l. ult. D. de furt. magis dubium videtur; Utrum una alteram consumat, an verò utraque experiri liceat? pr. Affirm. videtur, fac. l. 56. §. 2. Dig. de furt. junct. l. ult. Dig. eod. §. 10. Inst. de injur. l. ult. Dig. eod. d. l. ult. Dig. de priv. del.* Posse tamen Judicem ex officio, pro gravitate delicti, nihilo minus pœnam extraordinariam reo imponere, apparet ex *l. 9. §. 5. Dig. de Publican. l. 8. Dig. de calumn.*

Si in-



## L VII.

Si in super actiones invicem existunt præjudiciales, earum concursus non sortitur locum. Præjudicii vocabulum, quod aliàs ambiguum esse solet, eo hîc significatu usurpatur, ut denotet causam, quæ expedienda sive absolvenda est, antequam ad aliam in judicio fiat progressus. Harum actionum meminit Imperator in §. 13. *Inst. de Act.* v.g. ubi à Judice pronunciatum fuerit, Titium tanquam filium esse alendum à Mævio parente, hic autem filium suum esse neget: quæstio hæc, filius ne sit, separanda est à judicio jam intentato alimentorum, hocque differendum donec de veritate constiterit, an filius sit, nec ne: non enim alimentorum causa veritati facere debet præjudicium *l. pen. D. de his qui sui. quò fac l. 1. 2. C. de ord. jud. tot. tit. C. de ord. cogn.* Sic cum in crimine plagii incidit quæstio proprietatis; aut in crimine adulterii incidit quæstio status, civilis quæstio prius expedienda est. *l. 8. C. ad L. Fab. de plag. l. 26 D. ad L. Iul. de adult.* Sic etiam quæstio de possessione concurrens cum quæstione civili vel criminali, prius determinanda est, antequam negotium principale dijudicetur. *l. 2. Cod. ad L. Iul. de vi. l. 1. C. de appellat. l. 37. Dig. de judic. l. 5. §. 1. Dig. ad L. Iul. de vi publ.*

## LVIII.

Restat nunc agere de tertio concursus Actionum *supr. 2 h. 6.* propositæ membro, MIXTO nimirum, quando personalis actio cum actione in rem concurrat. Attendendum autem hîc est, utrum ex una vel duabus causis ejusdem rei nomine actio instituat, & ad idem vel diversa tendat. Priori enim casu altera actio alteram perimit: v.g. in legato res aliqua alicui legata est: ibi una tantum est causa, at duæ ex ea competunt actiones, vindicatio nempe rei, & condictio sive actio ex testamento. *l. 1. C. comm. de leg. §. 2. Instit. de legat.* Sed ambabus actionibus pro re legata simul



244.  
simul experiri, æquitas bonæque fides non admittit. *l. 57. ff. de R. I. nec etiam legatum diversas dispesci in partes potest. l. 76. §. penult. ff. de leg. 2.* Legatario insuper plures concessæ sunt actiones non eò, ut omnibus simul & conjunctim uti posset: sed ut uberior atque laxior agendi facultas esset, utque unam ex pluribus electam institueret. *d. l. 76. §. pen.* Sic ad rem furtivam persequendam prodita est condictio furtiva, cum qua etiam concurrat rei vindicatio. *§. ult. Inst. de obl. quæ ex del. l. 9. l. 54. §. 3. ff. de furt.* Quod si verò actor una illarum instituta rem nactus fuerit, ceteræ sublatae sunt, ita ut cum effectu eas instituere nequeat. *dd. ll. l. 10. Dig. de cond. furtiv.* Si tamen actor prius egerit condictione furtiva, & ex ea litis æstimationem sustulerit, potest postea rei vindicatione rem ipsam petere, si modò reo æstimationem, quam priori iudicio percepit, restituere paratus sit. *d. l. 9. D. de furt.* Sic actio ex Edicto Prætoris de alienatione iudicii mutandi causa facta concurrat cum utili in rem actione, tanquam adversus eum qui dolo malo desiit possidere. Si tamen hæc in iudicium deducta fuit, vel reus eam suscipere paratus sit, illa (ex Edicto) agi non potest. *l. 3. §. ult. ff. de al. jud. mut.* Actio directa autem contra eum qui possidet salva manet, sive actione ex Edicto, sive utili in rem is qui dolo desiit possidere conventus fuerit, & litis æstimationem præstiterit. *l. 13. §. 14. ff. de her. pet. l. 24. 25. ff. de nox. act. l. 7. ff. de R. V. l. 95. §. 9. ff. de solut. Cujac. lib. 22. Obs. cap. 29.*

L I X.

Posteriori verò modo, quando sc. duabus ex causis & ad diversa actiones concurrentes tendunt, tum actiones istæ invicem sese non consumunt: e. c. in persecutione rei quæ ab alio possidetur, duplex proposita est actio; 1. actio ad exhibendum: 2. rei vindicatio. *§. 29. Inst. de R. D. l. 1. & pass. D. ad exhib. §. 1. Inst. de Act. l. 25. D. de obl. & act.* Et utraque actio hoc casu in solidum institui potest: ad exhibendum

D enim



enim actio præparatoria quasi est rei vindicationis, idque tantum operatur, ut res nobis exhibeatur & inspicienda ponatur. *l. 3. §. 3. D. ad exhib. §. 3. Inst. de offic. jud.* Rei vero vindicatio efficit, ut res exhibita nobis restituatur. *§. 2. Inst. de off. jud.* Cum igitur diversis ex causis hæ actiones oriuntur, & ad diversa tendant, non est absurdum, etiam alteram altera non consumi, sed utramque instituere licere.

L X.

CAUSA EFFICIENS concursus Actionum est ipsum Jus Civile, quod Eum introduxit; Accipiendum autem hic Jus Civile in latiore significato, ut videlicet omnes sub se partes comprehendat, ex quibus actiones ortæ sunt: veluti Leges, Edicta Prætorum, Senatusconsulta & Plebescita &c. ex quibus omnibus plures ad eandem rem persequendam actiones sunt constitutæ.

L X I.

MATERIA, in qua consistit concursus Actionum, sunt, ut ex ipso nomine videre est, ipsæ actiones: quemadmodum autem actionum materia est res quæ petitur, sive in personam sit actio, sive in rem; ita etiam ubi variæ actiones concurrunt, eadem illarum est materia.

L X II.

FINIS concursus Actionum est, ut laxior & uberior agendi sit facultas, quemadmodum loquitur Papinianus in *l. cum filius. 76. §. pen. ff. de legat. 2.* Et actor facilius jus suum obtinere possit.

L X III.

VIS ATQUE EFFECTUS in eo consistit, ut quis vel omnibus Actionibus, vel una tantum uti possit. Atque hæc pro instituti ratione de Concursu Actionum dicta sufficiant.

*Is tantum reprecorsiveat feliciter ausis,*

*Quo duce cuncta vident, quo sine cuncta rigent.*

F I N I S.



TRA SSBurg, Diss., A627-29



Sl

VD 77











Auspice  
D. T. O. M.  
*DISPUTATIO JURIDICA*  
*De*  
**CONCVRSV**  
**ACTIONUM:**

228-

46

1629, 7

~~xxxii~~

*Præside*  
Clarissimo & Consultissimo Viro,  
**DN. SIGISMUNDO Flach/**  
U.J. DOCTORE, AC PROFESS. IN ALMA  
Argentoratensium Universitate celeberrimo,  
Præceptore ac Fautore suo plurimum  
honorando:

*PUBLICO EXAMINI*  
*Subiecta*  
a  
**JOHANNE REIMBOLDO Dietrich/**  
Argentinensi.

*Mense Septembri.*  
*ARGENTORATI,*  
Excudebat PAULUS LEDERTZ.  

---

M. DC. XXIX.

23

